



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CCV. Quo pacto vnus Angelus alium cognoscat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

denotio crearet aliquem Angelum, quod non posset cognosci ab his qui non sunt. Aut per speciem acquisitam à rebus: & sic sequeretur, quod Angeli superiores non possent cognoscere inferiores, à quibus nihil accipiunt. Nullo igitur modo videtur, quod vnus Angelus alium cognoscat.

Sed contra est quod dicitur in libr. de causis, quod omnis intelligentia scit res, quæ non corrumpuntur.

Respondeo dicendum, quod sicut Augustinus dicit in 2. super Genes. ad lit. ca. quæ in verbo Dei ab æterno præexistenterunt, dupliciter ab eo fluxerunt. Vno modo in intellectum Angelicum. Alio modo, vt subsisterent in proprijs naturis. In intellectu autem angelicum processerunt per hoc, quod Deus menti Angelicæ impressit rerum similitudines, quas in esse naturali produxit. In verbo autem Dei ab æterno extiterunt; non solum rationes rerum corporalium, sed etiam rationes omnium spiritualium creaturarum. Sic igitur vnicuique spiritualium creaturarum, à verbo Dei impressæ sunt omnes rationes rerum omnium tam corporalium, quam spiritualium; ita tamen quod vnicuique Angelo impressa est ratio suæ speciei secundum esse naturale, & intellectuale simul: ita scilicet quod in natura suæ speciei subsisteret, & per eam se intelligeret. Aliarum vero naturarum tam spiritualium, quam corporalium rationes sunt ei impressæ secundum esse intellectuale tantum, vt videlicet per huiusmodi species impressas tam creaturas corporales, quam spirituales cognosceret.

Ad primum ergo dicendum, quod naturæ spirituales Angelorum ab inuicem distinguuntur ordine quodam, sicut supra dictum est. Et sic natura vnus Angelus non prohibet intellectum ipsius à cognoscendis alijs naturis Angelorum; cum tam superiores, quam inferiores habeant affinitatem cum natura eius, differentia existente tantum secundum diuersos gradus perfectionis.

Ad secundum dicendum, quod ratio causæ & causati non facit ad hoc, quod vnus Angelus alium cognoscat, nisi ratione similitudinis, in quantum causa & causatum sunt similia; & ideo si inter Angelos ponatur similitudo absq; causalitate, remanebit in vno cognitio alterius.

Ad tertium dicendum, quod vnus angelus cognoscit alium per speciem eius in intellectu suo existentem, quæ differt ab alio Angelo, cuius similitudo est, non secundum esse materiale & immateria-

Vazquez in 1. partem Tom. II.

le, sed secundum esse naturale & intentionale. Nam ipse angelus est forma subsistens in esse naturali; non autem species eius, quæ est in intellectu alterius angeli, sed habet ibi esse intelligibile tantum, sicut etiam & forma coloris in pariete habet esse naturale, in medio autem deferente habet esse intentionale tantum.

Ad quartum dicendum, quod Deus vnquamque creaturam fecit proportionatam vniuerso quod facere disposuit. Et ideo si Deus institueret facere plures angelos, vel plures naturas rerum, plures species intelligibiles mentibus angelicis impressisset. Sicut si edificator voluisset facere maiorem domum, fecisset maius fundamentum. Vnde eiusdem rationis est, quod Deus adderet aliquam creaturam vniuerso, & aliquam speciem intelligibilem angelo.

Conclusio est; Quilibet Angelus alios omnes cognoscit per species rerum omnium spiritualium, quas ab initio habet in actibus.

DISPUTATIO CCV.

Quo pacto vnus angelus alium cognoscat.

Vnumquemque Angelum per suam essentiam cognoscere alium quemcumque, nonnulli senserunt, cap. 1.

Vnum Angelum cognoscere alium per essentiam illius, alij alij dixerunt, cap. 2.

Sola virtute intellectus aut per speciem vnum Angelum ab alio cognosci probabilior opinio fert, cap. 3.

CAP. I.

Vnumquemque Angelum per suam essentiam cognoscere alium quemcumque, nonnulli senserunt.

Supponimus in hac disputatione id, quod contra contrarium esse debet, nempe vnum Angelum recte ab alio cognosci. Nulla enim videtur esse ratio, ob quam vnus Angelus se possit alteri Angelo celare. Nam quod inter homines vnus alteri notus non sit, multæ sunt causæ manifestæ. Homo enim earum rerum, quas cognoscit notitiam, accipit à sensibus: sensus autem indiget præsentia obiecti secundum locum, quæ à multis causis tolli potest: Angelicus vero intellectus non indiget loci præsentia ad intelligendum: quare & absentia, & præsentia, & præterita potest intelligere. Miror tamen, qua ratione Iustinus lib. 4. q. à gentibus Christianis postulat, quæst. 76. Iustinus. dixerit, Angelos & demones non se mutuo cognoscere & intelligere: id quod etiam docet Chrysostomus in Matth. in illa verba, Tunc reliquit eum, &c. cum asserit, Angelum voluntate sua fieri demoni inuisibilem. Quod si aliqua ratione verum est: non ex natura rei, sed ex Dei voluntate ortum habet. Deus enim recte potest impedire, ne demones Angelos bonos cognoscant. Contrauerfia igitur solum est de modo, quo vnus Angelus alium cognoscit. In qua re est aliqua Scholasticorum varietas.

Quidam dixerunt, vnum Angelum per suam essentiam.

Ipsa operetur: vel quo fundamento id asseratur, non constat: cumque multo facilius sit, ut ostendamus modum, quo vnus Angelus ab alio cognoscitur, non debemus ad hæc difficilia & absurda confugere. Adde, quod si vnus Angelus deberet mouere intellectum alterius ad sui cognitionem, & alio modo cognosci non possit: sequeretur, nunquam cognosci ab illo, nisi ei esset loco coniunctus: nam Angelus non potest distans physicè operari, ut disput. 190. cap. 2. probauimus.

CAPVT III.

Sola virtute intellectus, aut per speciem vnum Angelum ab alio cognosci, probabilior opinio fert.

Ego quidem probabilius existimo, quemlibet Angelum habere in suo intellectu sufficiens principium natum, ut cognoscat quemlibet alium Angelum absque alia specie illius, & absque eo, quod essentia Angelici cogniti suppleat vicem speciei. Hoc autem Angelus intelligit secundum opinionem eorum, qui dicunt, Angelum non indigere speciebus rerum, ut eas cognoscat: sic enim neque indigebit specie alterius Angeli, ut illum intelligat: quam sententiam supra disput. 200. dixi probabilem. Quod si cum alijs doctoribus asseramus, Angelum intelligere res alias præter se per species aut innatas, aut à Deo infusas, eodem modo dicere debemus de cognitione, qua vnus Angelus alium cognoscit, nempe per speciem sui innatam, aut infusam ab alio Angelo intelligi; quam sententiam tradiderunt S. Thomas & Caietan. in hoc artic. Ferrar. contra gentes, cap. 98. & quotquot asserunt, Angelum intelligere alias res, præter se, per species illarum, quos disput. illa commemorauimus: alij vero modi quos hæcenus retulimus, absurdi aliquid continere videntur. Quare hæc vltima sententia refutatione aliarum confirmari debet.

Hic tamen notandum est, an vnus Angelus alium, præsertim superiorem comprehendat. Recentiores nonnulli Theologi asserunt primum, inferiores Angelos à superioribus comprehendendi: probant autem hac ratione, Quia si inferior seipsum comprehendit, multo maiori ratione à superiori comprehendetur: siquidem superior maioris est efficacitatis & virtutis in intelligendo. Deinde dicunt, superiorem Angelum intelligi quidem quidditatiuè & proprio conceptu ab inferiori, sed ab eo non comprehendendi, quod attinet ad quidditatiuam & propriam notitiam. Sententia hæc sine controversia est, ut opinor: quod verospectat ad comprehensionem, probant eam quia, ut aliquod obiectum comprehendatur ab aliquo intellectu oportet, ut cognoscatur tam perfecta cognitione, quam ipsa res suapte natura cognoscibilis est. Cognitionem autem, quam habet inferior Angelus de superiori, non est tam perfecta in genere cognitionis, quam est Angelus superior in ratione intelligibilis; qua etiam ratio descendunt communem sententiam Theologorum, qui dicunt Deum à nullo intellectu beato, nisi à seipso comprehendendi, quia nullius cognitio potest esse ita perfecta in genere cognitionis, sicut est ipse Deus in ratione intelligibilis.

Ego vero existimo, non solum superiorem Angelum ab inferiori non comprehendendi, sed neque

Videtur in 1. p. Tom. 2.

illam creaturam liberam ab alia quantumvis perfecta, non quia de ratione comprehensionis sit, ut cognitio in suo genere sit tam perfecta, quam res comprehensa, in genere intelligibilis: id enim non esse necessarium ad comprehensionem, satis superque monstrari disput. 53. cap. 2. sed quia, sicut ibidem cap. 4. ostendi, ut res aliqua dicatur comprehendi, necesse est, non tantum cognosci ea omnia, quæ ipsi formaliter insunt & conueniunt, sed etiam, quæ ex ipsa de luci possunt rationem ex causa; hæc enim omnia ad ipsam quodam modo pertinent; quare & necesse est cognoscere decretum voluntatis Angelis, vel hominibus, ut alius dicatur ipsum comprehendere; cum ergo nullus Angelus, etiam superior, cognoscat effectus liberos alterius Angeli, etiam inferioris, non dicitur ipsum, vilo modo comprehendere; quod nisi obstar, dicendum esset, Angelum superiorem ab inferiori rectè comprehendendi; siquidem ad rationem comprehensionis minime requisitum est, ut cognitio in suo genere sit tam perfecta, quam est res ipsa comprehensa in genere intelligibilis.

Cæterum contra ea, quæ diximus, posset esse difficultas, quam S. Thomas tetigit in primo argumento, quo pacto natura spiritualis vnus Angeli existens intra ipsum non impedit ipsum, ne cognoscat alium Angelum: siquidem vera est doctrina Aristot. 3. de anima, cap. 4. textu 4. *Intus existens, scilicet in anima, prohibet & obstruit*, scilicet ne exterius aliquid cognoscatur. In cuius solutione non parum laborant Ferrar. & Caietan. contra gentes, cap. 98. & circa hanc conclusionem, Et Caietan. in hunc artic. circa solutionem; neque enim Aristot. sensit quamlibet qualitatem, & rem existentem intra facultatem cognoscentem impedire cognitionem similis, hoc enim etiam in ipsis sensibus externis verum non est: Nam pupilla vna quæ lucida est & diaphana, non impedit, quominus alia pupilla lucida & diaphana, vel aliud corpus lucidum videatur; imo vero si cum recto organi temperamento esse posset in pupilla aliquis color, non propterea statim apparerent omnia visibilia illius coloris, aut visio impediretur; Nam & in musculis oculi sanguine pleni sunt, & tamen rectè vident & discernunt inter visibilia, qualitas enim intus existens non prohibet natura sua receptionem speciei visibilis, quam vocant intentionalem, sed impedit alterationem aliquam, & mutationem secundum formam accidentariam eiusdem naturæ, & ita in sensibus, in quibus necessaria est aliqua præuia alteratio ad sensationem, ut in tactu & olfactu qualitas intus existens prohibet sensationem similis; quod igitur Angeli substantia sit spiritualis & eiusdem naturæ cum substantia alterius Angeli, non impedit, quo minus illum intelligat; quia substantia Angeli secundum se capax est cognitionis spiritualis, nec vilo modo ipsi contraria. Cum vero Aristot. illo libro cap. 4. inquit, *Intus existens prohibet & obstruit*: Id quod de intellectu humano intelligit, significat, intellectum debere esse spiritualem & immixtum; quia nisi immixtus esset, non posset omnia cognoscere, eo quod materialis esset; non quia quævis substantia existens prohibeat cognitionem alterius substantiæ eiusdem rationis; sed ob rationem dictam. Quare quod Angelus sit spiritualis, & eiusdem

Vu 2

NATURA

41.

naturæ & substantiæ cum alio non obstat, quominus ipsum intelligere possit vno ex prædictis modis.

ARTICVLVS III.

Utrum Angelus per sua naturalia Deum cognoscere possit.

285.
2. dist. 23. q.
2. ar. 5. ar.
Et 4. dist.
49. q. 2. ar.
6. & 7.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod angeli per sua naturalia Deum cognoscere non possunt. Dicit enim Dionysius 9. cap. de diuin. nominib. quod Deus est super omnes cœlestes mentes incomprehensibili virtute collocatus. Et postea subdit, quod quia est supra omnem substantiam, ab omni cognitione est segregatus.

2. Præterea. Deus in infinitum distat ab intellectu angeli. Sed in infinitum distantia non possunt attingi. Ergo videtur quod angelus per sua naturalia non possit Deum cognoscere.

3. Præterea. 1. Corinth. 13. dicitur, Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Ex quo videtur quod sit duplex Dei cognitio. Vna qua videtur per sui essentiam, secundum quam dicitur videri facie ad faciem. Alia secundum quod videtur in speculo creaturarum. Sed primam Dei cognitionem angelus habere non potuit per sua, autem specularis angelis non conuenit:

2. 22. a. 4.

quia non accipiunt diuinam cognitionem à rebus sensibilibus: vt dicit Dionysius 7. cap. de diuin. nominib. Ergo angeli per sua naturalia Deum cognoscere non possunt.

a. 7. interpr.
et mod.

Sed contra. Angeli sunt potentiores in cognoscendo quam homines. Sed homines per sua naturalia Deum cognoscere possunt: secundum illud Rom. 1. Quod notum est Dei, manifestum est in illis. Ergo multo magis angeli.

Respondeo dicendum, quod Angeli aliquam cognitionem de Deo habere possunt per sua naturalia. Ad cuius evidentiam considerandum est, quod aliquid tripliciter cognoscitur. Vno modo per præsentiam suæ essentiae in cognoscente: sicut si lux videatur in oculo. Et sicut dictum est, quod angelus intelligit seipsum.

Art. 1. huius
quæst.

Alio modo per præsentiam suæ similitudinis in potentia cognoscenti: sicut lapis videtur ab oculo per hoc quod similitudo eius resultat in oculo. Tertio modo per hoc quod similitudo rei cognita non accipitur immediate ab ipsa recognita, sed à re aliqua in qua resultat: sicut videmus hominem in speculo. Primæ igitur cognitioni assimilatur diuina cognitio, qua per essentiam suam videtur. Et hæc cognitio Deum non potest adesse creaturæ

ARTIC. III.

alicui per sua naturalia, vt supra dictum est. Tertiæ autem cognitioni assimilatur cognitio quā nos cognoscimus Deum in via per similitudinem eius in creaturis resultantem, secundum illud Rom. 1. Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Vnde & dicitur Deum videre in speculo. Cognitio autem qua Angelus per sua naturalia cognoscit Deum, media est inter has duas: & similatur illi cognitioni, qua videtur res per speciem ab ea acceptam. Quia enim imago Dei est in ipsa natura Angeli impressa per suam essentiam, angelus Deum cognoscit, in quantum est similitudo Dei. Non tamen ipsam essentiam Dei videt quia nulla similitudo creata est sufficiens ad representandam diuinam essentiam. Vnde magis ista cognitio tenet se cum speculari, quia & ipsa natura angelica est quodam speculum diuinæ similitudinem representans.

Ad primum ergo dicendum, quod Dionysius loquitur de cognitione comprehensionis, vt expressè eius verba ostendunt. Et sic à nullo intellectu creato cognoscitur.

Ad secundum dicendum, quod propter hoc quod intellectus & essentia angelici in infinitum distat à Deo, sequitur, quod non possit ipsum comprehendere, nec per suam naturam eius essentiam videre. Non tamen sequitur quod propter hoc nullum habeant eius cognitionem: quia sicut Deus in infinitum distat ab angelo: ita cognitio, quam Deus habet de seipso in infinitum, distat à cognitione quam Angelus habet de eo.

Ad tertium dicendum, quod cognitio quam naturaliter Angelus habet de Deo, est media inter utramque cognitionem: & tamen magis se tenet cum vna vt supra dictum est.

Notationes circa Articulum.

Conclusio est. Angeli virtute sua naturali aliquam de Deo cognitionem habere possunt. Doctrina huius articuli, quod attinet ad explicationem huius conclusionis facilis est. Duo tantum observationes dignæ sunt.

Primum notandum est, quo pacto S. Thomas dicat, Angelum per suam essentiam non posse cognoscere Deum sicut est, quia nulla potest esse similitudo Dei, quæ faciat ipsum cognoscere se sicut est: diximus autem supra disput. 28. cap. 4. ex mente S. Thomæ non posse dari speciem quæ prius visa, sit ratio cognoscendi Deum sicut est. bene tamen produci posse speciem intelligibilem, quæ non prius visa, sed tanquam principium eliciens, sit causa cognoscendi Deum. In hoc vero articulo loquitur S. Thomas de specie, quæ prius visa, faciat Deum cognosci: & hanc dicit

non dari in Angelo. Nam quamvis essentia ipsius angeli sit quadam similitudo Dei, & in ea Angelus Deum cognoscat non est tam exacta ut possit in ea Deus perfecte videri, & sicuti est. ob id tamen hic non negat posse dari speciem intelligibilem tanquam principium eliciens: & in hunc sensum hunc locum, & alia eiusdem S. Thom. explicamus sup. dist. illa cap. 1. & 2.

Deinde notanda est Doctrina, quam habet S. Doctor in hoc artic. nempe lucem existentem in oculo per seipsam, non per aliquam speciem sui videri. Quam ego difficilem satis arbitror esse. Nam lux, quæ in oculo est, nec perfecte, nec per aliquam speciem videri potest: alioqui videretur corpus ipsius pupillæ lucidum: ac proinde figura, & quantitas illius, quæ est quasi sensibile commune, quod ratione proprii (sensibilis, nimirum lucis aut coloris semper videtur: sed nemo videt quantitatem, figuram, & situm suæ pupillæ: ergo nec lucem. Sed de hac re fufius tractant Philoſophi 2. de anima capit. 7.

DISPUTATIO CCVI.

Quo pacto Angelus naturaliter Deum cognoscat.

Dua Scholasticorum opiniones, cap. 1.
Sententia probabilior, cap. 2.

CAPVT I.

Dua Scholasticorum opiniones.

POSSET hoc disputari, angelus intelligat Deum per speciem naturalem propriam eius, notitia quadam propria & quidditativa, quæ non sit intuitiva, sicut est beatorum, nisi de hac re iam satis superque dictum esset supra disputatione 40. De visione autem Dei in vniuersum, in qua beatitudo rationalis creaturæ posita est, disputat, 36. & seqq. differuimus. Nunc igitur solum erit controuersia de modo, quo angelus in via Deum cognoscit notitia viatoris, non quidem propria & quidditativa: hæc enim nullo modo communicari ei potest, ut disput. illa diximus: sed notitia imperfecta, qualem nos etiam de Deo habemus. In qua difficultate variant quoque Scholastici, Omnia vero opinione Scoti quem allegauimus disputat. illa, asserentis, Deum in via cognosci ab angelo per propriam, & quidditativam speciem, prima sententia sit eorum, qui dicunt, Deum ita ab Angelo cognosci in via, ut essentia Angeli sit principium eliciens cognitionem. Hanc sententiam sequuntur recentiores, eamque amplecti videntur Caietanus in hunc articulum. §. Ad secundam vero objectionem, & Ferrarius 2. cont. gentes cap. 98. §. Ad huius evidentiam, & Capreol. in 2. dist. 3. quest. 2. artic. 1. conclusione 5. in su. probationis. Asserunt enim, essentiam Angeli esse principium per modum speciei representantis ad eliciendam cum intellectu cognitionem Dei: ita tamen, ut ipsa sit etiam cognit. ita: quo differt ab alijs speciebus, quibus intellectus vitur ut principio intellectiois: quia alie ita sunt principium, ut non cognoscantur: essentia autem Angeli vitrumque habet: non quidem quia ipsa essentia, ut cognita, sit ratio cognoscendi Deum: sed quia simul est principium cognoscendi Deum, ut species, & est cognita. Pro hac etiam sententia refertur Henricus quodlib. 4. quest. 7. Vasquez. in 1. p. Tom. 2.

existimo tamen, eam docuisse. Allegatur etiam S. Thom. in hoc artic. qui oppositum plane asserit, ut infra videbimus.

Probari autem potest primum, nisi angelus per suam essentiam, tanquam per principium eliciens cognitionem, cognosceret Deum; non posset aliter cognoscere ipsum, quam per illam vel per alios effectus prius cognitos: quare eodem modo angelus cognosceret Deum, quo nos etiam ipsum in via intelligimus: oportet autem alium perfectiorem modum cognoscendi Deum angelo tribuere, quam nobis: & alius non videtur, quam supra dictus: ergo dicendum est, eodem modo Deum ab angelo cognosci. Deinde, si eodem modo angelus Deum cognosceret, quo nos cognoscimus, sequeretur, Angelum cognitionem Dei per discursum comparare, nempe ex cognitione sui, vel aliarum rerum noticiam Dei deducendo: atqui Angelus non discursat, teste Sando Thom. infra quest. 57. artic. 3. ergo dicendum est, alio modo Deum ab angelo, quam à nobis intelligi. Quare Scotus in 2. dist. 3. quest. 9. §. Ad questionem, supponens ex mente Sancti Thomæ, Deum non cognosci ab angelo per speciem, sed per essentiam ipsius angeli tanquam per obiectum prius cognitum, colligit contra eundem S. Thom. angelum in sua cognitione discurrere.

Secunda sententia est Marsij in 1. quest. 7. artic. 1. parte 2. conclusione 8. ubi affirmat, Deum cognosci ab Angelo per speciem ingentiam, non quidem propriam & quidditativam ipsius Dei, sicut asserit Scotus, sed alio modo: hæc autem opinio non alio modo videtur probari, quam quia eadem videtur probari, quam quia eadem videtur esse ratio Dei & aliarum rerum: ut ab angelo cognoscantur.

CAPVT II.

Sententia probabilior.

MAGIS probatur eorum opinio qui asserunt, Angelum per suam essentiam tanquam per rationem prius cognitam comparare sibi noticiam Dei. Ita docent Bonau. in 2. dist. 3. p. 2. ar. 2. q. 2. in solutionibus Argum. Bassol. q. 3. ar. 2. §. Contra istam. Ric. in 2. dist. 4. art. 1. q. 1. & 2. (tamen Bassol. concedat etiam cum Scoto, angelo dari posse noticiam Dei quidditativam per propriam speciem) consentit etiam S. Tho. in hoc artic. inquit enim, rem tribus modis cognosci posse, primo, per suam essentiam, sicut essentia diuina videtur à Beatis. Secundo, per similitudinem rei, quæ est in facultate cognoscente, sicut color videtur ab oculo per suam speciem: Tertio per speciem resultantem in speculo: putat enim S. Doctor videri in speculo speciem coloris refractam in ipso, & hoc modo inquit cognosci Deum ab angelo per similitudinem sui refractam in ipsa essentia Angeli quasi in speculo quasi dicat, videtur Deus ab angelo, dum Angelus videt suam essentiam veluti speciem, & similitudinem quandam Dei. Habemus igitur, ex mente S. Thom. Deum ab angelo cognosci, dum angelus suam essentiam intelligit, quæ est similitudo quadam Dei, sicut species in speculo: quæ sanè sententia nobis probatur, tamen exemplum non placeat: de quo iam diximus supra disput. 38. capit. ultimo.

Pro explicatione autem huius opinionis notandum est, difficultatem præsentem dupliciter sensum.

Vu 4

intel.